B. N. C
FIRENZE
1067
3

Digitized by Google

Digitized by Google

XXVII
ANON
1690

1067. 3

EMINENTISSIMO DOMINO

# TUSSANO DE FORBIN DE JANSON,

## S. R. E. CARDINALI,

BELLOVACORUM EPISCOPO ET COMITI,

PARI FRANCIÆ,

REGIORUM ORDINUM COMMENDATORI.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

TUSSANE Latiæ grande lumen Purpuræ,
Romam ſequutæ, dum ſtudiis certantibus,
Et Urbs, & omnis Aula gratantur tibi;
Noviſque plaudit ipſe Rex honoribus:
Neſcis fuiſſe cauſſa litis innocens,
Interque amica dulce diſſidium, æmulo
Pro te favore, ſuſcitaſſe Numina.
Juvat bona narrare rem viſam fide,
Etenim videre cuncta Vatibus datum eſt.

Quod si, pudori consulens, sub fabulæ
Celat se amictu, gratior erit veritas.
Ut Fama lætum nuncium centum tubis
De Vaticani publicavit vertice:
Statim per auras Francia aurato adfuit
Portata curru. venit & Polonia
Raptis tyranno Thraciæ bigis vehens.
Junxere dextras, atque mutuum oscula
Testata amorem. Tum prior quæ fortibus
Dat Nympha leges Sarmatis: Quorsum huc pedem
Fers, inquit? unde insueta gloriatio?
Cui Liliorum sic regina retulit:
Antistes, ostro Pilei ornatus sacri,
Et me superbam reddit, & tanto jubet
Romæ agere grates debitas pro munere.
Measne partes, occupat Polonia,
Vicesque sumere te, Soror? ingrati notam
Inuris animi reddere dum grates vetas.
Nam quem petivi, quem meis suffragiis
Inducta honorem Roma FORBINO dedit,
Datum mihi profiteor, & acceptum fero.
Neque vana meriti est hæc mei jactatio.
Quid LUDOVICI, quid & ALEXANDRI favor
Profuerit, haud ignoro. Quamquam nil opus
Prensatione, nil opus fuit ambitu.
Debitaque dudum tot Viri virtutibus
Ni se obtulisset, erubuisset Purpura.

Tamen ego . . . Parce , Gallia infit, pluribus:
Agnoſco munus ; & ipſe non eſt immemor.
Sed quod probavit ſe tibi : quod calculo
Legi tuo promeruit , hoc meo mihi
Aſſerere poſſum jure. Cuncta ſcilicet
Queis ſe probavit decora, mater contuli :
Clarum vetuſto ſanguine Heroum genus,
Speciem decoram, quæque promittat virum
Conſtantem, apertum , fallere & falli inſcium.
A me ille fluxit victor animorum lepos,
Simplexque , & Aulæ comitas fuci carens,
Felixque rebus in gerendis facilitas.
A me virilis, pura, ſponte profluens,
Et plena dignitatis eloquentia:
Quam ſtupuit Arnus ; cui tuum Boryſthenem
Summittere undas ſæpe mirata es ſuas.
Memoremne lituos, infulas, torques , cruces,
Speciosa honoris nomina, & quod omnibus
Meritò anteponat , LUDOVICI gratiam?
His gradibus illum ſacræ admovi Purpuræ.
Ne multa : tanto dignus eſt faſtigio
Tibi viſus ; at ego par ut eſſet præſtiti.
Ea ille cuncta debeat ſanè tibi,
Reponit animis impatiens Polonia:
At debeo ipſi Principem, & cum Principe
Armis Viennam vindicatam ultricibus,
Tandemque turpi liberam Hungariam jugo.

Palmas, triumphos, immortalem gloriam,
Totam ipsa denique, nec pudet, me debeo.
Dicere paranti plura Roma intervenit,
Çorona honestum vincta triplici caput.
Et ponite, inquit, rixæ amabili modum.
Est vester, immo publicus FORBINI honos.
Lætorque in uno me fecisse munere
Ejusque meritis, omnium & voto satis.
Nec agere grates attinet: me, quæ dedi,
Quàm qui recepit, potius ornat purpura.
Lumen sacro ingens gaudeo Senatui,
Petrique solio forte columen additum.
Relligio, quid valeret, experta haud semel
Nunc cuncta rebus fausta spondeat suis.
Perenne inter vos fœderis sit vinculum.
Illo & sequestro Vistula concors Sequanæ,
Utrique concors Tibris æterno colant
Se amore. Pergat frangere JOANNES Scythas.
Grandævus orbe MAGNUS pacato imperet.
Claves Olympi longùm ALEXANDER gerat.
Tuque his diu, TUSSANE, amicis floreas.

Z 1067 3

---

PARISIIS, E Typographia GABRIELIS MARTIN, viâ Jacobæâ, sub Sole aureo. 1690.

Mc

Google

Digitized by Google